

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA PASSIONALIS
SECUNDUM
MATTHÆUM,

Quam
In florentissimâ ad Albim Academiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS Deutschmanni/

S.S. Theol: Doct: ejusdemq; Facultatis Professoris Publ.
longè Celeberrimi, nec non Alumnorum Electoralium
Ephori gravissimi,

*Domini Patroni Præceptoris Promotoris, studiorumq; suo-
rum Promotoris & Benefactoris, filiali cultu perpetim
devenerandi*


Publicæ Eruditorum ventilationi
subjicit

URBANUS ROEHE/

Jütrebocensis Saxo.

Ad d. X. Aprilis ANNO M. DC. LXIX,

In Auditorio Majori.



In Officinâ Fincelianâ excudebat Michaël Meyer,
Anno 1669.

V I R I S

Amplissimis, Spectatissimis, Clarissimis, & Prudentissimis,

DN. MARTINO Zschauen /
Sereniss. ac Potentiss. Electori Saxoniae
à Secretioribus Redituum Rationibus Spectatissimo.

DN. GEORGIO Ganglanden /
Laudatissimae Reipubl. Torgensis iudici Prudentissimo.

DN. JOHANNI SAMUELI Ringenbays /
Electoralis Cellae Vinariae Praefecto dignissimo.

DN. CASPARO Ringenbays /
Electoralium Vectigalium apud VVittebergenses Adjuncto integerrimo.

Dnn. Patronis, Fautoribus, Promotoribus & Benefactoribus suis Maximis, omni Observantia & Reverentia cultu, aeternum prosequendis

Hoc Exercitium Theologicum

D. D. D.

Urbanus Kothe.

HOMILIAE PASSIONALES.

HOMILIA XXV. PASSIONALIS

Ex Matth. XXVII. v. 45.-50.

DE PASSIONALI CONSUMMATIONE.

P *Ral. Ex Judic. XVI. ubi prolixè Mors Simsonis describitur, cum primis autem ratione temporis, quod in magno Philistæorum festo diem suum obierit; ratione devotionis quod in vera Dei invocatione vitæ finem fecerit v. 28. ratione operationis, quod magnam hostium stragem dederit, & plures moriens, quam vivens interfecerit, ac injurias, illatas sibi, magno spiritu sic ultus sit: Mors Simsonis est consummatio ejus naturalis, officialis & passionalis, typumqve gerit Mortis Christi. Nam & Christus ratione temporis, magno Judæorum, suorum hostium, festo, videlicet Paschatos, mortuus est: & non tantum in horto, vel ingressu passionis Matt. XXVI. 39. Sed etiam in crucis patibulo caelestem Patrem invocavit Luc. XXII. 46. & in mortis articulo preces ardentissimas fudit: Pater in manus tuas commendo spiritum & sic Mors ipsi facta Consummatio naturalis, quia sic vitam, vel cursum terrestrem finiit, consummatio officialis, quia ministerium suum, vel officium ministeriale conclusit, & consummatio passionalis, quia dixit: Consummatum est Johann. XIX. 30. Nos hac vice de Consummatione passionali juxta Mattheum aliquid meditabimur.*

Judic. XVI.
Mors Simsonis.
Mors Christi.

Exord. Ex Psal. XXII. 1. Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? inquit Messias Historiam passionalem Veteris Testamenti, vel illustrissimum Passionis vaticinium, nimirum hunc Psalmum & propheticum, & fere historicum ingressurus: quæ verba, sicut Exordium hujus Psalmi faciunt, ita breve totius Psalmi Compendium introducunt. Ostendit autem Messias (1) Passio- nis principium, Deus meus, Deus meus: non enim passionem Dominicam fatali cuidam ordinationi, quæ simplicem aliquam necessitatem post se trahat, adscribendam esse dicimus. Lubens enim hanc passionem aggressus est Christus Psalm. XL, 8. non ex

ps. XXII. 1.

Passionis principium

neces.

A



HOMILIÆ PASSIONALES.

*necessitate, sed ex libertate: nec vago fortuna casui, quasi casu, vel fortuito Dominus in hæc mala ceciderit: nam & semper passionem suam prævidit, & sapius eandem prædixit, adeoque neuiquam ipsi fortuito contigit: Sed divina dispositioni passionem Dominicam acceptam ferimus: unde Messias h. l. Patrem respicit, qui nobis filium unigenitum dedit Johann. III. 16. & filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit Rom. IIX. 32. unde Messias eum Deum suum vocat, & ratione liturgiæ, quia Messias, tanquam servus Dei magnus Es. XLII. 1. & minister circumcisionis Rom. XV. 8. Deo Patri ministrabat; & ratione œconomia, quia sic mysterium sapientissimæ œconomia hoc ipsum requirebat; & ratione fiducia, quia fiduciam omnem in Deum Patrē collocabat v. 3. 9. 10. &c. Et certe Deus ipse passionis hujus autor, non equidem respectu maleficiorum, quæ propria Diabolo sunt & malis hominibus, sed respectu beneficiorum, quæ nostræ salutis destinata sunt. (2) *Passionis iudicium*, quod est Dei derelictio, quare *Me dereliquisti*: nam Dei derelictione passionem omnem indicat: sicut enim *DEUS est fortitudo piorum, petra & arx ipsorum, liberator omnium, Deus noster, Deus adiutor, in quem sperare debemus, protector noster & cornu salutis, altissimum asylum nostrum Psalm. XIIIX. 2. 3.* ita ejus confortium nostrum delictum, ejus cohabitatio nostra refocillatio, ejus accessio nostra refectio, quod etiam de se Messias in hoc Psalmo aliquoties indicat: sed è contra *Dei derelictio* est omnis vitæ discessio, omnis lætitiæ amissio, omnis auxilii perditio, omnis boni transitio. Et certe Deo, summo bono, discedente bonum omne discedere necessum habet, sed mox Diabolus accedit, & omne malum secum affert, ac omne cruciatuum genus post desertionem Dei confert, ut ita sine Deo mox adsit malum æternum, quoad prægustum, malum *internum*, quoad proprium statum, malum *externum*, quoad externum symbolum. Est autem hæc *derelictio Dei* respectu *Messie* hic prænunciata, quod Deus Patrem ipsum in passiones, cruciatus & mortem ipsam tradiderit, & ipsum profus deseruerit, quod omnino considera-*

tione

*Passionis
iudicium.*

HOMILIÆ PASSIONALES.

tione dignum. Nos in paradiso per lapsum Protoplastorum deseruimus ipsum Deum, hanc desertionem Dei *Messias* expiare necessum habuit, & quidem pro nobis, ut nobis accessio Dei restitueretur. Non igitur sui, sed nostri causa derelictus est à Deo, quæ gravissimæ tentationis & passionis indicia fuerunt. (3) *Passionis studium*, vel terminum, *Quare* dicit *Messias*, me dereliquisti? suum hac particula notans *studium*, quod omnis ipsius meditatio sit in eo tantum occupata, ut hanc Dei derelictionem plane contemplari, pleneq; meditari queat. Et certe hoc *Quare* tum est *quare indagatio*, quia *Messias* respectu humanæ naturæ desiderio summo flagrat, introspiciendi mysterium hoc divinæ desertionis, ut causis cognitis eò confidentius omnes pœnas in se recipere queat: tum est *quare lamentationis*, quia Christi lamentationes hic integer fere *Psalms*, cum primis autem exordium ejus complectitur; tum est *quare invocationis*, quia simul hæc verba devotam orationem comprehendunt, & ad misericordiam Deum commovere volunt, ut finem desertionis faciat, & mox gratiæ, vel auxilii promotionem suscipiat: uno verbo dicitur etiã *Quare passionalis Consummationis*, quia Dei derelictio postremus & supremus, passionis gradus est, sicut eadem *Historia Passionis* ostendit, quando hæc verba Christus in *passionali Consummatione* repetiit: nos igitur hac vice de *Passionali Consummatione* proponemus (I) *Passionalis Consummationis indicium* v. 45. (II) *Passionalis Consummationis principium* v. 46. 47. 48. 49. (III) *Passionalis consummationis terminum* v. 50.

Passionis proprium.

Passionalis Consummatio.

Tract. Quod igitur attinet (I) *Passionalis consummationis indicium*, illud dicitur miraculosa quædam *Eclipsis* v. 45. *A sexta* *lis Consummationis* *autem hora tenebre factæ sunt super universam terram usq; ad nonam*: quibus describitur hæc *Eclipsis miraculosa* (I) *ratione indicium*, *durationis*, quia duravit ab *hora sexta* ad *nonam usq;*: nim. satis *Eclipsis*. diuturna dicitur hæc duratio tenebrarum, quia per integras tres *ratione durationis*, *omne tempus illud*, quo Christus crucifixus est, & vivus in cruce pependit, ne publicam & manifestam injuriam creatori suo



HOMILIÆ EASSIONALES.

ratione con-
ditionis.

Sol tribus
modis ob-
scuratur.

per homines illatam, intueretur. Nam secundum Hieronymum
omnis creatura compatitur morienti Christo, Sol obscuratur, terra
mouetur, lapides finduntur, solus homo, pro quo Christus patitur, non
afficitur. (2) Ratione conditionis, quia tenebrae factae sunt, non equi-
dem nocturnae, sed diurnae, non naturales, sed supernaturales, non
communes, sed singulares, quia tempore plenilunii sol obscuratus
est. Lucas addit ipsum modum, vel etiam principium tenebrarum,
quod sol obscuratus ἐσκότιθη ὁ ἥλιος: quomodo verò id ipsum
factum sit, nostrum non est curiosius indagare. Notum enim
est, quod omnis Eclipsis solaris tempore novilunii fiat, quando
lunare corpus inter solem, & terram interponitur, & visus no-
ster impeditur, quo minus totum solare corpus, & omnem ejus
splendorem videre queat: sed hæc eclipsis plenilunii tempore
facta, quando lunare corpus soli non objicitur, sed opponitur.
Obscuratus est autem sol, non quasi sol esse desierit, aut quod om-
nem in se splendorem amiserit, aut quod caligo corpus ipsum
solis invaserit & occuparit, sed quia lucem suam terris & homi-
nibus ingratis invidit. Duplici modo sol alias obscurari dicitur,
vel per luna inter terram & solem interpositionem, vel per radio-
rum solis retentionem, aut retractionem, utroque modo hæc super-
naturalis Eclipsis fieri potuit, quia naturæ autor patiebatur, ideo
creatura omnis eidem compatiebatur. Nec hic naturalia sunt
iniis opponenda, quæ supernaturalia prorsus extiterunt. Sol, ne
Judeorum facinus aspicere cogatur, scribit Cyprian. serm. de bo-
no patient. & radios & oculos suos subtrahit. Et Hieron. in cap.
27. Matth. Videtur mihi clarissimum mundi lumen, hoc est, lumi-
nare majus, retraxisse radios suos. Idem habet Chrysostr. serm. de
paß. in Catena: Non poterat ferre Creatura injuriam Creatoris,
unde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora. Sed mo-
dum alteram Dionys. Areopag. Epist. 7. ad Polycarp. de se & Apol-
lophane Philosopho, tanquam αὐτόπαις, affert scribens: Eramus
una ambo, & stabamus ad Heliopolin, ac cernebamus, nec opinato,
cum Luna se soli objiciebat (neq; enim conjunctionis erat tempus)
rursusq; cum eadem ab hora nona ad vesperam se media solis linea
præter

HOMILIAE PASSIONALES

præter Naturæ ordinem opponerat. Redige autem etiam aliquid aliud ei in memoriam. Scit enim etiam objectum ipsum à nobis visum esse oriri ab ortu solis & ad solis extremum pervenire, deinde evanescere, rursusq; non ab eadē parte solis & objectum, & recessum evenire, sed ab ea, quæ ut ita dicam, è diametro erat contraria &c. Origenes adhuc aliam, videlicet tertiam, addit modum, quod facta fuerit hæc eclipsis per interpositionem densissimorum nubium, quod etiam canit Sedulius: Sol nube coruscus Abscondens radios tetra velatus amictu Delituit, tristemq; infecit luctibus orbem. (3) Ratione extensionis, quia super universam terram tenebra fuerunt. Et hanc universalitatem Evangelistæ satis emphatice describunt. Matthæus inquit ὅτι πᾶσαν τὴν γῆν, Marcus & Lucas ἐφ' ὅλην τὴν γῆν. Origenes equidem cum aliis censet, fuisse tantum Eclipsin particularem, & ad rotam terram Judæam extensam: sed emphasis vocabulorum aliud ostendere videtur. Et idem alii nonnulli Philosophi, vel etiam Historici observarunt. Et cum fuerit præternaturalis, utiq; non debet, nec potest ad ordinarias Eclipsium regulas, vel phases referri.

ratione extensionis.

II. Passionalis Consummationis Principium v. 46. seqq. in quibus triplex principium observari potest (1) Principium Materiale, quod est Jesus Nazarenus, Salvator noster, ejusq; lamentatio, de quo dicitur: Circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens: fuit hæc vox magna ratione externæ pronuntiationis, quia voce magna clamavit, ἀνεβόησεν vehementer & alta, vel intensa voce clamavit, quod & notatur Hebr. V. 7. quod Christus in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; obtulerit cum clamore valido & lacrymis: ratione internæ conditionis, quia secundum Originem, plena mysterii fuit & doctrinæ. Digne Deo, scribit Origen. tract. 35. in Matth. p. 201. requirendum est, quæ fuit illa magna vox Christi, utrum magna rebus significantibus magna mysteria, aut magna sensibili & corporali magnæ vocis auditu. Puto autem, quod omnis vox Christi Filii Dei magna est, etsi fuerit lenis &c: magna denique ratione æternæ consummationis, quia sic in cruce passus est, ut mox consummaturus omnia, sicut paulo post dixit

II. Passionalis Consummationis Principium Materiale.



HOMILIE PASSIONALES.

Principium
judiciale.

Job. XIX. 20. Consummatum est, dum in sanctum sanctorum ingressus est, non hircorum, vel vitulorum, sed proprio sanguine, & æternam redemptionem invenit *Heb. IX. 12.* cum primis autem vox magna fuit, qualis solet esse magna, vel dolores magnos tolerantium, vehementer lamentantium, vehementer laborantium *Esa. XLII. 24.* (2) *Principium judiciale*, quod est *Dei desertio*, quia clamavit Jesus: *Eli. Eli lama azabthani*, hoc est, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, quæ verba non sunt *contendentis*, aut *litigantis*, quasi Christus litigare voluerit cum Patre cælesti: contrarium enim ex loco primitivo *Pf. XXII. 1. seqq.* est manifestum, ubi multa *spei*, vel *fiducia* erga Patrem argumenta prodit, adeoque neutiquam cum eo contendere, sed potius secum Deo, ejusque auxilio firmissime conjungere voluit: nec sunt *indignantis*, vel *expostulantis*, nam Christus suâ sponte Passionem susceperat, & omnem obedientiam Patri promiserat *Psalms. XL. 8.* cum eodem igitur expostulare, vel eidem indignari minime volebat: multo minus sunt *desperantis*, ut male quidam opinantur: licet enim Christus cum desperatione concertare, vitiumque hoc gravissimum nostri causa superare necessum habuerit, tamen sanctissimo nostro Mediatori neutiquam ipsa desperatio tribui vel potest, vel debet. Tentatus est desperatione, oneratus est desperatione, sed victoriose desperationem omnem superavit: unde potius sunt verba *lamentantis*, quod ipse sonus & status verborum attestatur, quia de magnitudine dolorum & onerum sollicitus Messias, non potuit ob immensos labores atq; dolores has lamentationes non edere: verba *querulantis*, quia Patri suo queritur de hoc laborum onere, nec in sinum alterius confidentius, commodius, vel etiam fructuosius querelas suas effundere potuit: sunt verba *confidenter invocantis*, quemadmodum & ipsa verba, & omnia sequentia fere testantur. Conqueritur autem de horrendo Dei judicio, quod est *judicium desertionis*, quia Deus Pater propter infinitam justitiam, propter immensam severitatē, propter intolerabilē iram suam, etiam Messiam ipsam ad tempus deserere voluit, ut infensissimū suū odiū
erga

HOMILIÆ PASSINALES.

erga peccatum eo ipso contestarerur. (3) *Principium causale v. Principium*
 47. 48. 49. quod est *hominum pessimorum illusio*, cum hanc etiam *Causale.*
lamentabilem exclamationem Jesu Crucifixi suis illusionibus exci-
 pere voluerint, tum *quoad verborū detorsionem v. 47. Quidam*
autem illic stantes & audientes dicebant: Heliam vocat iste. Hiero-
nymus censet, eos, fuisse *militēs Romanos*, qui non intellexerint
 linguam *Orientelem*: sed nec quicquam illi de propheta *Elia*
 noverunt: potius igitur dicendum, quod *Judæi* fuerint, qui ta-
 lem illusionem instituerint ex pravo sensu dicti *Malach IV. 3.* tum
quoad potus exhibitionem, quia *continuo currens unus ex eis*, acce-
 ptam *spongiam implevit aceto*, & *imposuit arundini*, & *dabat ei bibe-*
re v. 48. Marcus v. 36. addit, quod idem ille dixerit: *Sinite vi-*
deamus, an venturus sit Elias ad deponendum eum. Johannes v.
XIX. 28. quod hoc factum sit ad Christi verbum, vel postulatum:
Sitio: sic igitur videmus, quod intolerabilis fuerit æstus iræ di-
 vinæ, cruciatuum infernalium, aliorumque dolorum, ut intole-
 rabilem sitim in Christo excitaverint: sed licet mansuetissi-
 mus Dominus sitiret, nihil tamen potus præter acetum ab illuso-
 ribus expectare poterat: tum *quoad Elia expectationem*, quia ju-
 xta Matthæum cæteri quoque dixerunt: *Sine videamus, an ve-*
niat Elisas, liberaturus eum. Sic igitur in hanc acerbam & mor-
 dentem illusionem reliqui consenserunt, & sic dolores in
 Christo vehementer auxerunt. Nulla siquidem crudelitas
 major est, quam quæ in miseros homines morti jam destinatos
 exercetur.

III. *Passionalis Consummationis terminum v. 50.* describit: III. *Passio-*
Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit Spiritum. Ex qui- *nalis Con-*
 bus apparet, quod *passionalis Consummationis terminus* nihil a- *summatio-*
 liud sit, quam ipsa *Mors Christi Salvatoris.* Describitur au- *nis termi-*
 tem *Mors* in his verbis () *ratione subjeti*, quod dicitur *Jesus:* *num; Mors*
 nam hoc nomen non sine emphasi, nec sine causa prægnahti de- *ratione sub-*
 nuo hic repetitur, sed *partim* ut ostendatur, eum ut *Jesum mor-* *jecti.*
 tuum esse, *partim* notetur, ejus mortem esse non passivam, sed
 activam, & vere satisfactoriam; *partim* ut designetur, mortem
 hanc

HOMILIAE PASSIONALES.

ratione
Symboli.

hanc esse salutiferam. (2) *Ratione Symboli*, quod iterum clamavit voce magna: hic magnus clamor fuit nostri magnus amor: & propterea quoque sic alta voce clamavit, ut plenitudinem satisfactionis indicaret, & quod ex alto Spiritu ac imo corde postremum imperum faceret, ac mortem omnem vinceret. (3) *Ratione obiecti*, quia dicitur spiritum emisisse, vel exspirasse, & quidem active, tum quia potestatem habuit ponendi spiritum, & iterum sumendum *Johann. X. 18.* tum quia Patri spiritum active commendavit *Luc. XXIII. 46.* tum quia sua morte sic totam passionem satisfactionem active consummare voluit.

ratione ob-
jecti.

Note Didacticae.

Miracula
Christi cir-
ca vitæ in-
gressum,
progressum
& egressum.

1. *Miraculorum usus per omnem Christi vitam* observari potest continuus. Nam *miracula facta sunt* (1) *in vitæ ingressu*, quia miraculose per Spiritum Sanctum in utero conceptus, miraculose in virgine conceptus & ab eadem natus, & alia quoque miracula circa Christi nativitatem contigerant. (2) *In vitæ progressu*, quia *vitæ Christi curriculum* nihil aliud fuit, quam *divinissimorum miraculorum Gymnasium*, sicut ipse testatur *Matth. XI. 4.* *Euntes renunciate Johanni, quæ audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Evangelizantur.* (3) *In vitæ egressu*, quia h. l. varia *miracula mortis Christi* recententur.

2. Ut in nativitate Christi nova stella fuit exorta, sic in morte ejus mirabile quid in sole contigit, qui profusus est obscuratus.

Note Elencticae.

Eclipsis to-
tius terræ,
non solius
Judææ.

1. *Origenes statuit Eclipsin illam supernaturalem tantum*, fuisse totius Judææ, non autem totius terræ. Sequitur eum *Jesuita Maldonatus super h. l.* *Calvinus etiam in Harmon. p. 427.* idipsū urget. (1) *Quod si tale quid contigisset, haec debuerit à tam multis, qui illorum temporum historiam accurate tradiderunt, omitti.* (2) *Quod si toti mundo communis fuisset defectio, potuerit videri naturalis, è contra verò magis notabile fuisset prodigium, tenebris obrui Judæam, sole alibi fulgente.* Verum rationes illæ non sunt a deo magni momenti, nec à recepta sententia Doctorum nos recedere cogunt.

2. Licet

HOMILIÆ PASSIONALES.

2. Licet autem Christus in cruce clamaverit: *Deus meus, Christus ve-*
Deus meus, quare me dereliquisti: tamen inde non potest inferri, *rus Deus,*
 quod non fuerit verus Deus, quod Judæi cum Socinianis, & aliis
 faciunt. Nam *dist.* inter *ὀικονομίαν* & *ῥοίαν*: hæc verba Christi
 pertinent ad *ὀικονομίαν* passionis, non ad *ῥοίαν* absolutæ condi-
 tionis. Deinde respiciunt *Patrem*, non *λόγον*: nam *Pater*, non
λόγος ipsum deseruit, quia Deus proprio sanguine redemit
 Ecclesiam, *Act. XX. 28.* autor vitæ interfectus *Act. III. 14.*

3. *Christus* non tantum quoad *corpus*, sed etiam quoad *animã*, *Christus*
 & quidem non tantum quoad *inferiorem*, sed etiam quoad *su-* *etiam quo-*
periore partē, passus est, quod testatur Christi notabilis quere- *ad animam*
la, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti. Notandum hoc *passus.*
 contra *Papistas*, qui in eo nobis contradicunt, *Anglo-Rhemens.*
in Annot. Heb. 5. v. 7. blasphemiam esse, scribunt, dicere, quod
 Christus passus fuerit in anima. Sic & Christus ipse contra-
 rium testatur *Matth. XXVI. 30.* *Tristis est anima mea usque ad*
mortem.

4. Christus etiam *dolores infernales* sensit, quia Dei *deser-* *Dolores in-*
tio est infernalium pœnarum illatio. Sed id *Papista* negant *Bellarm.* *fernales*
l. 4. de anima Christi, novam atq; inauditam impietatem vocat, *sta-* *sensit.*
tuere, quod Christus in passione sua dolores infernales sustinuerit.
 Sed rectius alii nobiscum id statuunt. *Bartholomeus Medina in*
Thom. part. 3. q. 46. art. 6. Est genus pœnarum, quod patiuntur *da-*
mnati in inferno, quod omni solatio carent. Quidam huic simile
Redemptor noster sustinere dignatus est, qui omne à se solatium &
consolationis remedium in passione abdicavit. Et ipse *Thom. p. 3. q. 52.*
art. 3. dicit: *Christum voluisse esse in inferno, ut nostras pœnas in se*
reciperet.

5. *Baronius* statuit, *virum myrrhatum commiserationis cau-* *Vinum myrr-*
sa Christo datum fuisse, sed eum refutat *Adam Contzen in c. 27.* *rhatum non*
Matth. Baronius, scribit, existimat, *commiserationis affectu allatum* *commisera-*
 (nim. *vinum myrrhatum*) Fortè id aliquando factum, non tamen *tionis causa*
 ad Christum pertinuisse videtur. Non enim Christus peccatum su- *datum.*
 um, quod nullum habebat, confessus est, quod à *Thalmudicis* quidem
 B cum

HOMILIAE PASSIONES.

cum portione myrrhat a conjungitur Deinde nulla exhibit a est miseratio, in dolore & precibus irridebatur.

HOMILIA XXVI. PASSIONALIS

EX MATTH. XXVII. v. 51. -56.

DE MIRACULOSIS CONSE-
QUENTIBUS PASSIONIS.

II. Reg.
XIII. 20, 21.

Præl. Ex II. Reg. XIII. 20. 22. ubi mirabilis de mortuo Elisa Historia recensetur his verbis : Mortuus est Eliseus, & sepelierunt eum. Exercitus autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt exercitum, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisei: Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos: Hoc Ecclesiasticus in Eliseo commendat c. XLII. 14. Cum Eliseus jam mortuus esset, corpus ejus prophetabat: vivens Eliseus miracula faciebat, & mortuus miraculum edidit. In quibus & Elisei mortem, & exercitum Moab venientem, & mortuum resurgentem, notare debemus: Sed in Christo Jesu, Eliseo cælesti, multo magis hæc admiranda veniunt. Vidimus ejus mortem, credimus exercitum Diabolorum venientem & incurrentem, atque circa mortuum Jesum varios impetus & insultus facientem, sed ipse mortuus Jesus & miracula fecit, & sua morte sepulchra dormientium recludit, eosque vivos è sepulchris dimisit, sicut Miraculosa passionis & mortis Consequentia testantur, quæ juxta Matthæum modo considerare debemus.

Ps. CXIIX.

17.

Mortis
Christi de-
scriptio
quoad Ma-
teriale.

Exord. Ex Psal. CXIIX. 17. ubi Messias inquit: Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini: quibus mirabiliter Mors Messie describitur (1) quoad materiale. Non moriar: nam Messie mors verius non-mors est: quod equidem mirabiliter nostris in auribus sonat, & multo mirabilius rationi nostræ videtur: nam mors, vere mors est, non mors esse non debet, neque potest. Sed admiratione non est opus, si quis materiale subjectum, nimirum ipsum Messiam considerat, qui dicit Ego non moriar, qui sum immortalis

HOMILIÆ PASSIONALES.

mortalis Deus, qui sum æternus Dei Filius, quoad divinitatem, adeoque mortis minime capax: qui sum *sanctus sanctorum Dan. IX. 24. sanctum, quod ex Maria natum Luc. I. 35. Pontifex sanctus, impollutus, innocens, à peccatoribus segregatus Heb. VII. 26.* qui mortis omnis expers erat: nam *mors peccati pœna Gen. II. 17.* ubi proinde nullum peccatum, ibi nullum mortis indicium, vel iudicium, aut supplicium: recte proinde dicit, non moriar: nam quod mortuus est ipse, nobis mortuus est, quia mortuus propter peccata nostra *Rom. IV. 25.* hæc igitur mors suo modo *Non-mors* appellatur. (2) *Quoad formale, sed vivam:* nam *Christi mors Christi vita*, quia in media morte mansit ipse vivificus, & corpus ejus vere fuit vivificum: & certe mors Christi nihil aliud fuit, quam abitus ad Patrem *Job. XVI. 7.* quam ingressus ad gloriam *Luc. XXIV. 26.* & aditus ad æternam vitam, quia dicitur, & vita & resurrectio *Job. XI. 25.* *Mors Christi nostra vita*, quia per ejus mortem nos omnes vitam consequimur: est enim *mors ejus vite nostra spiritualis & cœlestis origo*, cum in ejus morte nostra vita sit fundata: est *vite scaturigo*, quia *mors ejus vite fons est & scaturigo*, unde nostris animabus perpetuo vitæ liquor emanat, ut & nos vivere, vitæque viam invenire non tantum, sed etiam ambulare queamus, ut ad veritatem ipsam, vel æternam & veram vitam perveniamus: qua de causa dicitur *Johann. XIV. 6. & via, & veritas, & vita: est Christi mors inde vita non saltem, sed etiam vivifica vita*, quæ nos in peccatis mortuos vivificat, & omnem succum vitalem suppeditat, ut nunc in Domino vivere queamus. (3) *quoad proprium essentiale, & narrabo opera Domini:* sicut enim ex vera vita vitæ propria, vitæ opera promanant, sic ex hac vita Mortis Christi, vel ex hac vivente morte nihil, nisi *mera vita propria*, vel *opera vite* suam trahunt originem: hæc sunt *opera Domini, mysteria Domini, miracula Domini:* quæ Christus mortuus non tãore, quam opere narrat, hoc est ipso facto præstat, quæ *narratio realis* est. Nam sicut Christus Salvator in vita sua miracula multiplicis generis edidit, ita miraculosa virtus etiam in morte non desit, sed ipsi mortuo, & in patibulo crucis affixo

Quoad formale.

Proprium essentiale.



HOMILIÆ PASSIONALES.

semper adfuit. Jam autem divina miracula edere non est *mortui*, sed *vivi*, non *deficientis*, sed *potentis*, non *Φιλαθρώπης*, sed *θεωθρώπης*. Talia miracula plurima in Christi morte contigerunt, quorum nonnulla *Matthæus* etiam annotavit de quibus modo *passionalem Meditationem* instituemus, & *Miraculosa passionis*, vel etiam *mortis consequentia* proponemus, quia *triplis generis Miraculosa consequentia* producit (I) *Miraculosa consequentia in creaturis inanimatis*. (II) *Miraculosa consequentia in creaturis mortuis* (III) *Miraculosa consequentia in creaturis vivis*.

I. Consequētia miraculosa in creaturis inanimatis

veli templi scissio.

Tract. Quod (I) *Consequentia miraculosa concernit in creaturis inanimatis*, ea primum introducuntur, cum propius illas creaturas *passio & mors Christi* respicerent, & tamen in illis Deo peculiaris miracula producere voluit, ut eo rectius ab hominibus notari possent. Talia sunt (I) *Veli templi scissio v. 51.* Et ecce dicitur, *velum templi scissum est in duas partes à summo usq; deorsum*: cum autem duo fuerint in templo *vela*, nimirum aliud *exterius*, quod atrium à sanctuario separabat, alterum *interius*, quod sanctum sanctorum à sanctuario dividebat *Exod. XXVI. 31. seqq.* ideo non una Doctorum est sententia, quodnam velum hic intelligendum veniat. *Hieron. in c. 27. Matth. Origenes in b. l. & alii de velo tantum exteriori exponunt: Cyrillus autem l. 12. in Job. c. 37.* cum aliis statuit, *velum interius* hic accipiendū esse, idq; sicut videtur, rectius: quia Sanctum sanctorum hæcenus tempore *V. T.* prorsus obvelatum, & non nisi summo Sacerdoti pervium, per Christum Jesum apertum, qui semel ingressus sanctum sanctorum non per hircorum vel vitulorum, sed per proprium sanguinem æterna redemptione inventa *Heb. IX. 12.* & certe, dum velum illud tollitur, omnis distinctio gentilium & Judæorum tollitur, & in unum Ecclesiæ Catholicæ corpus utriusque populum conjungendum esse subinnuitur: cum in Christo nec Judæus, nec græcus *Gal. III. 28.* cælum ipsum quoq; clausum antea referitur, sicut *Hieron.* inquit: *Velum templi scinditur, id est cælum aperitur*, & alia simul mysteria indicantur, cum primis a. plenaria revelatio, & catholica publicatio mysteriorum regni

HOMILIAE PASSIONALES

regni caelorum, quae paulo post per universalem Apostolorum
praedicationem per omnem terrarum orbem institui debebat.

(2) *Terrae Commotio*, quia dicitur, *Et terra mota est*, quia maximū *Terrae com-*
quasi terrorem & concussionem percipiebat ob crudelissimam *motio.*
Filii Dei mortem: hic a. terrae motus non tantum respectu mō-
tis *Golgotha*, vel etiam urbis *Hierosolymae*, aut solius *Judaeae*, sed et-
iam respectu vicinarum regionum intelligendus est, quia refe-
runt *Historici*, quod in aliis etiam *Asia* provinciis tunc temporis
talis terrae commotio contigerit. Et certe ob summam irae di-
vinæ gravitatem vix terra cum incolis suis consistere potuisset,
nisi mors ipsa Salvatoris etiam intervenisset. Nam terra cum in-
colis Christo propter trucidationē obfuit, sed Christus morte
sua terrae simul & incolis profuit. (3) *Petrarum divisio*, quia pe-
trae scissae sunt. *Lucianus* martyr apud *Euseb. l. 9. Hist. Eccles.*
cap. 6. testatur, *rupem Golgothaeam praecipue hanc scissuram expertā* *Petrarum*
esse. *Hieronymus* scribit, *in Evangelio Nazaraeorum* legi, quod *super-* *divisio.*
liminare templi infinitae magnitudinis in hac scissione petrarum fue-
rit fractum & divisum. Alii scribunt, *rupem montis Calvariae*, in
qua fixae fuerunt tres cruces, eo modo scissam esse, ut inter Chri-
sti & impii latronis crucem divisio interjecta sit, latronem, à Do-
mino divisum esse, significans. Et certe cum petra Christus Jesus
scissa sit per mortem per animae & corporis separationē, Deus et-
iam petrarū aliarum disruptionem concedere voluit, ut his etiā
miraculosis scissionibus petrosa *Judaeorum* & aliorum corda
concuteret: licet in sacris literis praecise definitum non sit, quot
& quanam petrae scissuram hanc susceperint, ex plurali numero
tamen apparet, quod plures eorum fuerint.

II. *Consequentia miraculosa in creaturis mortuis*, quae praee- II. *In crea-*
dentibus subjiciuntur v. 25. 53. Talia fuerunt (1) *Sepulchrorum a-* *turis mor-*
pertio, quia disertis verbis dicitur, quod *sepulchra sint aperta:* *tuis.*
nam pleraq; sepulchra magnorum virorum in petris excisa fue- *Sepulchro-*
runt, sicut in sequentibus etiā dicitur de sepulchro *Josephi Ari-* *rum aper-*
mathaei, in quod Christi Salvatoris corpus fuit repositum: cum *cio.*
igitur talis ruptura petrarū fieret, sepulchra pariter aperta fue-
runt: & licet à tali ruptura nemo facile collectionē ad apertio-

HOMILIÆ PASSIONALES.

*Sanctorum
resurrectio.*

*Sanctorum
apparitio.*

nem sepulchrorum instituere potuisset, tamen hic ipse Spiritus Sanctus indicat, per Dei singularem providentiam contigisse, ut in hac petrarum dissectione sepulchrorum quoque facta sit apertura: hoc a. non intelligendum est de omnibus in universum sepulchris Hierosolymitanis, sed potius de sepulchris sanctorum, quemadmodum circumstantiæ textus edocent: nam & Christus ut sanctus voluit sepelli, sanctorum sepulchra tanquam dormitoria consecrare, & hac resecratione simul indicare, quod ipse clavem sepulchrorum & mortis possideat, & quod morte sua nunc mortis vincula ruperit, & sepulchra cum primis sanctorum aperuerit. (2) *Sanctorum resurrectio*, quia multa corpora sanctorum, qui dormierunt, resurrexerunt: dicitur, quod multa corpora, non omnia sanctorum resurrexerint; quorum autem sanctorum corpora resurrexerint, illud per Evangelistam non indicatur: nonnulli sunt in hac sententia, quod in eorum numero fuerint, *Adã & Eva, Noa, Abraham, Isaac, Jacob &c.* qui propterea tanto desiderio desiderarunt non alibi, quam in terra palæstina sepeliri, cum spiritus eis quasi revelaverit Messie sepulturam, & solennem sanctorum cum ipso resurrectionem, vel ad minimum eos impulerit, ut in hac terra potissimum sepulchrum expeterent, ubi sanctus sanctorum aliquando sepeliendus & resuscitandus erat: neque tamen existimandum, quod statim in morte Christi resurrexerint hi sancti: nam *Matthæus v. 53.* discrete testatur, quod post ejus resurrectionem de monumentis egressi sint, & alias notum, quod Christus fuerit primogenitus ex mortuis *Apoc. 1. 5.* & quod autor sit resurrectionis sanctorum; non igitur conveniebat, ut illi prius, quam Christus resurgerent. Unde *Hieronymus* scribit: *Cum monumenta aperta sint, non tamen antea resurrexerunt, quam Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis.* Hinc (3) sequitur *sanctorum apparitio v. 53.* quia exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in Sanctam civitatem, & apparuerunt multis: quibus & egressus miraculosus de monumentis, & ingressus graciosus in civitatem sanctam, & apparitionis actus gloriosus indicatur: nam & resurrectionis Christi comites

HOMILIAE PASSIONALES.

mites, & ejus testes ac indices esse debebant, unde non omnibus, sed istis apparuerunt, quibus tanta divinitus concedebatur gratia: sicut enim Christus Dominus post resurrectionem suam omnibus non est visus, sed potius discipulis & mulieribus piis apparuit: sic etiam Christi ministri, sancti, qui cum ipso resurrexerunt, non omnibus, sed multis, iisque fidelibus apparuerunt.

III. *Miraculosa consequentia in creaturis vivis v. 54. 55. 56.*
 Talia miracula fuerunt (1) *custodum conversio v. 54. quia Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Jesum viso terra motu, & his, quae fiebant, timuerunt valde: quis ille Centurio fuerit, illud apud Matthaeum, vel alium Evangelistam non legitur. Papista statuunt, eum nomine Longinum appellatum fuisse. Traditionis fundamentum ipsis est, quod in actis Martyrii apud Metaphrasten hic Centurio Longinus vocatur, ἀπὸ τῆς λόγχης, vel à lancea dubio procul nomine deducto. Sed nec aliquis Evangelistarum, nec Apostolorum, ejus rei mentionem fecit: neq; veteres scriptores illud certo quodam indicio affirmant. Hoc nobis sufficiat, quod hic Centurio videns magna mortis miracula, timorē non mortis sed vitae, non impudentiae vel ferociae, sed penitentiae conceperit, & ex magnitudine rerum gestarum conversus sit, ita quidem, ut nō tantum ipse, sed etiam in sociis talem penitentiae timorē perceperit.* (2) *Custodum confessio, quia dixerunt, Vere hic Filius Dei est: nam milites propter malitiam obduratam & audaciam inveteratam non facile commoventur, sed quando divina potentia suam exserit virtutem, humana sapius audacia cedere cogitur: hinc Centurio non tantum corde commovetur, sed etiam ore confitetur, quod hic verē Dei Filius fuerit, & suo exemplo reliquos etiam movet custodes, ut similem confessionem edant, quod hic verē Dei Filius extiterit. Sic illi, qui fuerant antea crucifixo- res, nunc fiunt Christi Confessores, quod certe non minimum miraculorum mortis Christi fuisse dicitur, quia mortuus corporaliter alios spiritualiter vivificare potuit.* (3) *Mulierum constans per- mansio v. 55. quia erant ibi mulieres multae à longe spectantes, quae se-*

III. *In crea- turis vivis. Custodum conversio.*

Custodum confessio.

Mulierum constans per- mansio.

HOMILIAE PASSIONALES.

cutae erant Jesum à Galilea, ministrantes ei. v. 5. 6 inter eas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Jose mater, & mater filiorum Zebedai: nam nec illud miraculo carebat, quod Petrus ἠρῶ μαχὸς Christum abnegaverit, & omnis discipulorum catus aufugerit, nullus etiam amicorum fere constans in his periculis permanferit, solae tamen mulieres in morte Christo constanter adhaeserant: & post mortem adfuerunt, & sepulturae ceremoniis non defuerunt. Sic gratia Dei magis in infirmioribus, quam in robustis efficacis esse consuevit, ne viribus nostris quicquam, sed omnia Deo tribuamus.

Nota Didactica.

- | | |
|----------------------------------|--|
| <i>V. & N. T.</i> | 1. <i>Vetus & Novum Testamentum unum esse Templum, unum sanctuarium, unum habere Christum, vel Dominum, vel tantum esse distinctum: cum vetus fuerit obvelatum, novum sit revelatum.</i> |
| <i>Vetus abrogatum.</i> | 2. <i>Vetus Testamentum in Christi morte fuisse totaliter abrogatum, quia velum penitus ruptum à summo usque ad imum.</i> |
| <i>Christus promus condus.</i> | 3. <i>Christum optimum esse divinorum consiliorum, arcannorum vel mysteriorum, & divinorum beneficiorum promum condum, cum ipse morte sua velum omnium typorum, umbrarum & involucrorum sustulerit.</i> |
| <i>Mors Christi nostra vita.</i> | 4. <i>Mortem Christi fuisse gloriosam, cum tot miraculis à priori, à formali & à posteriori divinitus illustrata sit.</i>
5. <i>Christi mortem nostram esse vitam, cum per Christi mortem sepulchra mortuorum aperiantur, mortui de sepulchris egrediantur, & coram Deo & hominibus manifestentur.</i> |
| <i>Naturalis.</i> | 6. <i>Mors Christi causa nostra vitae naturalis, ut nimirum eam retinere queamus, cum alias propter peccata, secundum senatus divini consultum Gen. II. 17. statim homines post peccatum aeternae mortis candidati fuissent, & aeternae mortis supplicio periissent: causa nostra vitae spiritualis, quod etiam ex ipsis hostibus Christi compareret: nam quam primò Christus mortuus, Centurio gentilis cum sociis militibus adest vivus, & quidem per Christi mortem vivificatus: causa vitae caelestis & aeternalis, quia mors ipsius etiam mortem aeternam destruxit atque nostri bono sustulit.</i> |
| <i>Caelestis.</i> | |

99 A 6912

ULB Halle 3
002 721 678



VD 17

Rehr o. Konr.

Sb.







I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA PASSIONALIS
SECUNDUM
MATTHÆUM,

Quam
In florentissimâ ad Albim Academia
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Maximè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi,
DN. JOHANNIS Deutschmanni /
S.S. Theol. Doct: ejusdemq; Facultatis Professoris Publ.
longè Celeberrimi, nec non Alumnorum Electoralium
Ephori gravissimi,

*Domini Patroni Præceptoris Promotoris, studiorumq; suo-
rum Promotoris & Benefactoris, filiali cultu perpetim
devenuerandi*


Publicæ Eruditorum ventilationi
subjicit

URBANUS ROTHE /

Jütrebocensis Saxo.

Ad d. X. Aprilis ANNO M. DC. LXIX,

In Auditorio Majori.



In Officinâ Finçelianâ excudebat Michaël Meyer,
Anno 1669.

